Quelle: https://manuscripta.at/?ID=39612
Copyright: Innsbruck, Tiroler Landesmuseum (Ferdinandeum)

1431

Gramatica

Gramatica que congrue construis appositum
Cur morti construtibile me tradis compositum
Et in actus transitiua formas me suppositum
Nam simplex hec constructio seruat me repositum

Loyca

Loyca vim quod distinguis a falso discernis
Tu es acuta bilinguis presertim verum cernis
Incarnatum moriturum me desolatum spernis
Ach sortes quod non curistas iam latens in lucernis

Rethorica

Eya mitis rethorica floribus perornata
Verborum pulchris flosculis a deo decorata
Persuasiuis coloribus a morte separata
Quamobrem tuum exulem relinquis desperata

Arismetrica

Tu vnans arismetrica numeros numerasti
Expedit ut tu annorum dies non prolongasti
Quam morte preamaram ve michi adequasti
O pulchra arismetrica numeros separasti

Geometria

Geometria fulgida tu ponderum mensura
Mensuras cuncta ponderas in puncto atque punctura
Mortem vitam mensurasti de quibus michi cura
Mors vincit vitalem vitam dolorum pressura

Musica

Intonas dulcis musica vocibus semitonis
Diuina canes cantica in angelorum thronis
Collaudas deum inclitum trinum in personis
Dulcore tuo sopido morte non sternis thronis

Astronomia

Astronomia iubilans planetas nostis signa
Menses dies considerans annos moneta digna
Obsecro tuas merito cessasset mors maligna
Exul ego quare fauens spe cecidi condigna

---

144 156

Geomancia

Proiecto geomontica nunc hora terminauit
Annum tempus ac momentum in quo me mors prostrauit
Dubius nam cecidi dolor dum perpetrauit
Vitalis calor defuit sic humidum vorauit

Theologia

O quam profunda mistica misteria sacrata
Theologia contines a deo dedicata
Nempe sanctis omelijs altissimo placata
Me ancere non exsoluis est michi mors donata

Phisica (?)

Alloquor philosophiam moralem naturalem
Que cunctos modo simios ambit pecto talem
Mors mito resspueret fateor tibi qualem
Michi donarunt sydera nunc mortem temporalem

Leges

Dic lex potes defendere me principem iustinianum
Ac iustos tuos iudices ne mors me ledat sanum
Iustinianus cecidit sic cecidit prophanum
Corpus meum fragile iam factum in humanum

Ius canonicum

O ius iuris canonici rite porte appello
Admaius mensem floridum que in verus procello
Nosco fore temporaneum ut cesset mors a bello
Sic effugare volui tunc insidens a sello

Phisica

O phisica quam phisicas humidum radicando
Potibus ydromellicis ac laxatiua dando
Cum speciebus plurimis cur morte separando
Non malignam vince me pauperem necando

Alchimia

En venusta alchimia que auro gloriaris
Lapide phorum procul principaris
Cur me fidelem famulum a morte non sanaris
Auri preparando copia tincture salutaris